



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Caput III. De necessitate, numero, & instiutione Sacramentorum in lege gratiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

De Sacramentis. Cap. II. II

patet ex Divo Augustino, cum ait: *Sacra- D. Aug. lib: 19. contra*  
*menta veteris legis ablata sunt, quia imple-* Faustum cap. 13.  
*ta; & alia instituta sunt virtute maiora, uti-*  
*litate meliora, actu faciliora, & numero*  
*pauciora.*

C A P U T III.

*De necessitate, numero, & institutione*  
*Sacramentorum in lege gratie.*

*Quaest. I. F* U I T-ne necessarium quod Deus  
institueret Sacramenta in lege  
nova, quæ est lex gratiæ, diversa à Sacra-  
mentis veteris legis, quæ est lex Moïsis?

*Resp.* Non erat absolutè loquendo necesse,  
ut Deus institueret Sacramenta; quoniam sa-  
lutem nostram operari poterat aliis mediis tum  
in lege naturæ & Mosaicæ, tum in lege gra-  
tiæ: conveniens tamen maximè fuit, ut insti-  
tueret Sacramenta in lege nova quæ differrent  
à Sacramentis legis antiquæ: cuius quidem  
rationem assignat Divus Thomas his verbis:

*Sicut antiqui patres salvati sunt per fidem D. Th. 3. p. q. 61. art. 4. in corp.*  
*Christi venturi, ita & nos salvamur per*  
*fidem Christi jam nati & passi: sunt autem*

*Sacramenta quadam signa protestantia fidem*  
*qua homo iustificatur. Oportet autem aliis*  
*signis significari futura, præterita, & præ-*  
*sentia. Ut enim Augustinus dicit lib. 19. con-*  
*tra Faustum cap. 14. eadem res aliter annun-*  
*ciatur facienda, aliter facta; sicut ipsa ver-*  
*ba, passurus & passus, non similiter sonant.*  
*Et ideo oportet quadam alia Sacramenta esse*  
*in nova lege, quibus significantur ea quæ præ-*  
*cesserunt in Christo, præter Sacramenta vete-*  
*ris legis quibus prænunciabantur futura.*

A. vj

12 TRACTATUS I.

*Quaest. 2. Quot sunt Sacramenta novæ legis ?*

*Resp. Septem sunt Sacramenta novæ legis : Baptismus , Confirmatio , Eucharistia , Pœnitentia , Extrema-unctio , Ordo , & Matrimonium.*

*Quaest. 3. Quis-nam instituit Sacramenta ?*

*Resp. Christus Dominus , ut definitur Concilium Tridentinum sess. 7. c. 1. Si quis dixerit , Sacramenta nova legis non fuisse omnia à Jesu-Christo Domino nostro instituta , anathema sit.*

*Quaest. 4. Potest-ne probari ex Scriptura sacra institutio omnium Sacramentorum ?*

*Resp. Id non est necessarium , sed sufficit nos hujus veritatis certos esse per Dei verbum , quod ad nos duabus viis pervenit , scripturâ scilicet Canonica , & traditione : accipe tamen , quod circa hanc rem in scriptura continetur.*

Christus Dominus ad animarum sanctificationem aquas tunc incepit destinare cum baptisari voluit in Jordane : Baptismi necessitatem deinde declaravit , cum dixit Nicodemo ; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-sancto , non potest introire in regnum Dei : Et Baptismi suscipiendi præceptum imposuit , quando priusquam in cælum ascenderet , Apostolis dixit : Euntes docete omnes gentes , baptisantes eos , in nomine Patris , & Filii , & Spiritus-sancti : Et Marci 16. v. 16. Qui crediderit & baptisatus fuerit , salvus erit.*

Joan. 3. v. 5.

Matth. 28.  
v. 19.

Confirmatio designata fuit cum Christus parvulis manus imposuit , qui sibi oblatis sunt , ut habetur Matth. 19. v. 13. *Oblatis sunt ei parvuli ut manus eis imponeret , & cum imposuisset eis manus.* Verum dubitari minimè potest , quin secundum Christi mandatum ,

*De Sacramentis. Cap. III. 13*

eam Apostoli administraverint, ut videre licet variis in locis Apostolorum Actuum. v. 9. quando multi Samaritani baptisati fuerunt a sancto Philippo, uno ex septem Diaconis, Apostoli miserunt ab Hierusalem Petrum & Joannem, qui erant Apostoli, cujus Episcopi sunt successores, qui, ut dicitur Act. 8. v. 17. *Imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum-sanctum.* Idem dicitur de sancto Paulo Apostolo. Act. 19. v. 6. *Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos.*

Institutio Sacramenti Eucharistiæ clarè ostenditur, cum dicitur: *Cœnantibus autem eis accepit Iesus panem & benedixit ac fregit, deditque Discipulis suis & ait: Accipite & comedite, hoc est Corpus meum.* Et Marci 14. v. 22. *Accipit Iesus panem & benedicens fregit & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est Corpus meum.* Lucae 22. v. 19. *Et accepto pane gratias egit & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est Corpus meum quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem.*

Matth. 26.  
v. 26.

Et tunc quidem Christus præstitit, & perfecit quod promiserat Joannis 6. v. 54. ubi dicit, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et versu 56. *Caro enim mea, verè est cibus, & Sanguis meus, verè est potus.*

Sacramentum Pœnitentiæ institutum fuit Joannis 20. v. 23. quando Christus dixit Apostolis suis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Et Christus Dominus hanc eis potestatem daturum se promisit, quando dixit Petro, Matth. 16. v. 19. *Tibi dabo Claves*

14 TRACTATUS I.

Regni Cælorum; & quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis. Quod cap. 18. v. 18. dixit omnibus Apostolis: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quaecumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.*

Quod dicitur Marci 6. v. 13. *Et ungebant oleo multos agros & sanabant*, ad extremæ Uctionis Sacramentum referri potest. Verùm clarè significatur Jacobi 5. v. 14. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.*

Sacramentum Ordinis institutū fuit in Cœna Domini, quantum ad potestatem consecrandi Eucharistiam, & post resurrectionem quantum ad potestatem remittendi peccata. Joannis 20. *Insufflavit & dixit eis, Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Sanctus etiam Paulus ostendit ordinem esse Sacramentum, quod confert gratiam, cum dicit ad Timotheum, *Noli negligere gratiam que in te est, que data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.*

1. Timoth.  
cap. 4. v. 14.

Matrimonium primitus institutum fuit in Paradiso terrestri, sed videtur elevatum ad Sacramenti dignitatem per benedictionem, quam dedit ei Christus Dominus cum interfuit nuptiis Canæ Galileæ, vel dum statuit indissolubilitatem matrimonii dicens, Matth. 19. v. 6. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Et ad Ephesios 5. v. 31. ait Aposto-

De Sacramentis. Cap. IV. 15

Ius: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.

C A P U T IV.

De partibus necessariis ad constituendum Sacramentum.

Quaest. I. QUÆNAM sunt partes necessariae ad constituendum Sacramentum?

Resp. Omnia Sacramenta, ut ait Concilium Florentinum, tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis, tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum. Idem statuit & decrevit Concilium Tridentinum. sess. 7.

Conc. Florent. sub Eugenio IV. in Armenorum Decreto.

Quaest. 2. In quo consistit materia & forma Sacramentorum?

Resp. Quemadmodum in compositis naturalibus, vocamus materiam id quod determinari debet ad tale esse per aliud, formam vero vocamus quod ipsam materiam ad aliquid determinat, ac perficit; ita in Sacramentis res sensibiles quæ ex se indifferentes sunt ad significandum plura, dicuntur materia, & verba illa determinantia ad tale significandum, dicuntur forma: Ex verbis & rebus, inquit sanctus Thomas, fit quodammodo unum in Sacramento, sicut ex forma & materia, in quantum scilicet per verba perficitur significatio rerum. Et ibidem in corpore articuli sic habet: Aqua enim significare potest & ablu-tionem propter suam humiditatem, & refrigerationem propter suam frigiditatem: sed

D. Th. 3. p. q. 60. art. 6. ad 2.

ibidem in corp. articuli,